

DISSE^RTATI^O EPISTOLARIS
JOHANNIS DAN. GOHLII, M. D.
DE
MOTUS TONICI DEMONSTRATIONE PER REVULSIONEM ET DIVERSIONEM VETERUM.

AD
VIRUM
EXPERIENTISSIMUM ET DOCTISSIMUM
JOHANNEM DANIELEM
ENGMANNUM,
GREIPHENB. SILESIUM.
CUM VII. JANUAR. ANNI MDCCVIII
IN ACADEMIA HALLENSI
MEDICINÆ UTRIUSQUE DOCTOR
RENUNCIARETUR,

hol. gen.
265,40

Thes. 219.

*Experientissime DOM. CANDIDATE
FAUTOR ET AMICE PLURIMUM COLENDE.*



Onores, quos Tibi Fridericia nostra post ex-
antlatos labores confert, in causa sunt, ut gratu-
labundus has ad Te perscribam litteras. Inania
autem verba, cum à temporis inæstimabili pretio
longissimè distent, etiam à me longius abesse vo-
lui, ut consultius potius esse ducam, ante tecum
ponderare, quid sentiendum sit hodiernis seculis *de Revulsioni-
bus & Diversationibus Veterum*, an Veterosorum magis sint
insomnia, an satius realis & practica veritas, quam ad gratula-
bunda provolvar verba.

Merito quis obstupefecit, qui recentioris Scholæ Medicæ
Choragogorum ingenii magis aciei quam judicio indulgentium
evolvit volumina, quæ inscribuntur practica, & conjuratum
quasi offendit consensum in silentio de hac materia certe excel-
lentissima & ex cœco orco spisissimorum præjudiciorum jure
revocanda. Causam si resciscas, quare Neoterici de eo fileant de
quo singula ferme veterum monumentorum pagella loquitur,
hanc tibi dabo. Nesciunt practicam hanc veritatem a priori cum
præconceppta inapplicabili Theoria combinare, aut ubi unus &
alter præcipiti mentis impetu ad explicandas rationes fertur, ne
mirere mille contradictiones tanquam documenta hypothe-
seos chameleontæ apparere. Helmontius media & remedia
Revulsionum & Diversionum cum suis affeclis vocat instrumen-
ta deleteria (Mord, Mirtel). Sylvius id quod cum humoribus
perpetuo conflictantibus non conspirat, aut Salibus volatilibus
oleosis aut anodynīs neque extricari neque complacari potest,
rejicit & extundit. Willisius metu & pudore suffusus de illo ta-
cet, de quo nullus cum præsupposita speculatione sperandus est
nexus, spirituum enim explosio optimas Veterum veritates ex-
plodit. Hoc si faciunt Dii majorum gentium ad quorum exem-
plum medicus componitur Orbis, quid non facient Dii mino-
rum gentium, qui præjudiciis insontes occœcati non alio du-
cuntur filo, quam quo ad labyrinthum datur via. Incompara-
bilis

bilis autem Ettmüllerus ab Experientia sese doceri passus est, quam ingens momentum felicioris Praxeos situm sit in agnitione usus summe necessarii Revulsionis & Diversionis: Propterea hanc materiam peculiari capite in generalioribus suis practicis inculcat. Wedelius Antiquitatum imprimis medicarum sublimis estimator; Practicus item longe clarissimus jam dudum suis scriptis comprobavit, quid sentiat de practica hac veritate, à Clinicâ Praxi edoctus, cum qua, Theoria, sponte si non vult, compellendo aduniri debet. Postremum Baglivus, strenuus veterum monumentorum ruspator, Praxeos item clinicæ observantissimus, hinc & inde in suis scriptis testatum facit, quod magni faciat remedia revellentia & divertentia, quanquam modum agendi ipsum penitus introspexisse aperte fateri nequeam.

MEMORABILIA circa hanc rem sunt verba Hipp. Lib. VI. Epidem. Sect. VI. n. 21. Revellenda ea sunt, quæ quo non oportet vergunt, si autem quonam convenit iis tum viam struere decet, quamnam in partem singula tendunt. Quibus paucissimis verbis Divus senex Revulsionis & Derivationis legitimum usum sat succincte depingit; Quæ Veterum Medicorum Institutiones de hac materia loquuntur longe obscuriora sunt. Quare sine ulterioribus ambagibus per ipsam exemplorum deductionem perspicuorem rem habituri, accedimus statim ad Media & Instrumenta Revulsionem & Diversionem præstantia, quæ commode, ratione modi agendi, in sequentes classes coordinari possunt. I) *Nonnulla agunt ex sensu frigidi, non saltem universalem peripherie corporis sed & particularis alicujus visceris aut partis hoc sensu affecti constricti inducentia.* Priora vulgus in Hæmorrhagiis fistendis usurpat, adacto sanguine ad viscera, non sine metu staseos ibidem colligendæ & hinc corruptionis. Posteriora & Veteres medici commendant & vulgus experimentatur, applicando linteas aqua frigida vel aceto imbuta ad hypochondrium dextrum, ad testes & ad mammas cum consequentiis non raro funestis, inflammationis aut induratoriæ obstipationis viscerum. Quod genus Revulsionis non imitandum duco, cum fluxerit apud antiquos ex falsa hypothesi partium mandantium. Interim allego historicam experimen-

torum ita factorum veritatem, ut dispalescat oppositorum efficacia ad corroborandum firmius finale hujus Dissertationis conclusum. II.) Nonnulla immediatè provocando universalem motum, delent & extinguunt particularem. Sic per terrorem inductum saepius vidi singultientium motum cessare. Et terror ex incendio domicilii subortus curavit Podagricos. Terror vulgus extinguit paroxysmos Intermittentium & insultus hæmorrhagiarum. Quæ experimenta, si suo tempore, causa antecedente in morbis continente facta, sublata, contingunt, non nocent. Plures ex hoc fundamento per inducta animi pathemata curatos morbos si resciscere quis velit, adeat Observatores. Quotidianæ observationis, attendantibus, specimen est, *mærore, tristitia & meticulosa animi anxietate corporis animalis excretiones, si non penitus suspendi, saltem retardari.* E contra *animi alacritas* plurimos dolores excutit, quod vulgus ita effert (wenn man an die Krankheit nicht dencke / man sey nicht halb so frisch) Hinc stupenda vis est *Musices* in curandis morbis: Testibus Tarantatis. Affinis argumenti exemplum huc ad huc referre luet, scilicet Sydenhamii de febr. pestil. p. 154. quando in sudore anglico vomiturientem regimine diaphoretico præsenter sublevavit. Ita quoque *motus voluntarius* jugiter institutus, solvit motus vitales spasticos particulares, tam diu ad minimum quam diu durat motus; quod suis exemplis plures Ischiadici & Podagrī testari possunt, & longè plures possent, si primum saltem dolorem superare vellent animi præsentia. Ut taceam eodem remedio, proterviam paroxysmorum intermittentium sine materiali causa insultantium, cicurari. Hic largus esset campus exspatiandi ad varias *corporis exercitationes Veteribus & Recentioribus usuales*, quibus varii affectus in particularibus spasmodicis humorum motibus consistentes excuti possunt, sed charta non patitur. Saltem meminisse liceat Equitationis Sydenhamianæ, tanquam specifici antiphthisici. v. Propempt. D. Stahlii hujus tituli. Ex eodem principio fluit. Apoplexiam, Paralysin per febres solvi posse & solere. Ita & III.) *Particularis Motus particularem delet.* A singulu enim sternutatio liberat. Hipp. Aph. 13. Sect. 6. IV.) *Nonnulla partes corporis nostri fibrosas emolliendo relaxant;*

vel

vel universaliter, qualia sunt *batnea aquæ dulcis, lactis aut decoctorum gelatinosorum & mucilaginosorum*. Talia ordinari consuevere subjectis atrophicis. Ægyptii, referente Alpino Lib. IV. in febris pestilentibus & exanthematicis omnes corporis partes cum oleis coctis illinendo, leviter perfricant, ut hac ratione motum humorum eccentricum ab intro foras elicant. Vel particulariter certas corporis partes emolliendo & relaxando influxum humorum præstant, qualia sunt *fotus partium ariditate affectarum*, vel cum gelatinosis & mucilaginosis vel cum dissectis animalibus vivis. Derivandi pariter & revellendi scopo a superioribus ad inferiora non rejiculum ferunt auxilium *pediluvia* in Cephalalgiis aut aliis etiam ad superiores cavitates factis humorum translationibus, ex obstructis mensibus aut hæmorrhoidibus. Ex eadem intentione Veteribus quoque usuales fuerunt *inunctiones artuum*. Sic Aretæus veterosorum, quibus extrema ex ratione morbi perfixerunt, cervicem, manus & pedes *inunxit*. Novi exemplum Illustris cujusdam Viri, Regi nostro à Consiliis intimis, dudum Cephalæa maxime rebelli & contumaci laborantis, qui pluriinis celebrium Medicorum frustra adscitis consiliis & auxiliis a Sene quodam Medico Gallo, per *pedum saltem inunctionem* ab ipsomet per aliquot tempus administratam à contumaci hoc morbo tandem fuit liberatus. *Semicupia* nondum omnia loca aboluere, egregium enim obtinent usum in translationibns mensium & hæmorrhoidum revellendo pariter & derivando sanguinem a superioribus cavitatibus ad inferiorem maxime consuetam & appropriatam. *Eadem* nephriticorum spasmos circa interiora verlantes, amissimè revellunt ad exteriora. Ejusdem efficaciam quoque sunt *vesicæ bubulæ oleis aut decoctis calidis replete*, quas tanquam emollientes & relaxantes fotus Aretæus in Tetano artibus rigidis super imponere commendat. V.) Nonnulla sensum augent & hinc congestionem humorum ad partem irritatam provocant. Sic veteres cucurbitulam sicciam cum multa flamma intra scapulas affigunt Apoplecticis & lethargicis. Anginosis præsertim cynanchicis ad occiput aut pectus, docti ab Aph. 37. Hipp. Sect. 6. Cholera aut Diabete laborantibus abdomini sub um-

bilico. Cephalæa, Vertigine, Melancholia, aut Epilepsia laborantibus, vertici. In Hæmorrhagiis narium, hepati; in hæmorrhagia uteri autem, mammis, vid. Hipp. Aph. Sect. V. Aph. 50. Ad derivandas hæmorrhoides aut menses Montagna jubet curbitulam cum magna flamma apponere ad os sacrum: Quamquam hoc experimentum promiscuè factum plus nocere quam juvare posset, præsertim in subjectis nephriticis Quid eadem in paralyticis membris tono exfoliatis prodeesse possint secundum Septalium Lib VI. n. 76. 77. 78. non video, quin potius spasmodic & necrosis metuere faciant. Magis commendandæ sunt in ariduris partium. *Frictiones* sensum & motum revocant in partibus atonia laborantibus, præsertim si cum pannis asperis aut excutia instituantur, & tunc agunt derivando. Revellendo agunt in congestionibus aut translationibus humorū ad excretionem destinatorum circa superiora factis, præsertim si fiant in pedibus. Exsolvent etiam spasmos fixos artuum, quos vulgus decubitus catarrhales vocat, si immediatè pars affecta tractetur. Idem præstant eminenter *Sinapis*, quos Veteres universaliter per totum corpus dispensarunt in syncopticis & apoplecticis: Hinc Aretæus oleo gleucino & Sycionio, quod ex cucumere asinino, Euphorbio & aliis acrioribus rubefacientibus compositum fuit, totum corpus perfrigeratum, perficare jubet, ut scilicet unà cum humoribus calor ad exteriora revocetur Lib. I. De Curationibus acutorum Cap. III. Eodem modō, generalioribus tamen evacuationibus præmissis, & Apoplecticos tractat; nec male, cum historia anatomica Hæmorrhagiam cerebrinam ex postfacto haec tenus monstraverit. Ad plantas pedum Revulsionis ergo solennius magis applicari confuevere in translationibus hæmorrhagiarum aut ferosorum recrementorum chronicis, ut & in metastasi acutarum ad Caput. Ad caput rasum in Tetano, Vertagine & Lethargo. Extrinsecus ad collum in Cynanche. *Urticationes* ad ariduras partium restituendas non contemnendum ferunt auxilium. In Lethargo Aretæus commendat urticationes pedum. VI.) Nonnulla intercedente sensu peregrino materiam evacuando & Revulsionem & Derivationem certo respectu præstant. Sic Venæ Sectio in Anginosis, Apoplecticis, Lethargicis, Mania-

niacis, catharrô suffocativô oppreslis, nullam sensibilem præstat
 Revulsionem, nisi cum magna fiat incisione, & in maniacis ad Li-
 pothymiam usq;. In pedibus celebrata, revellit translationes san-
 guinis ad superiores cavitates ex suppressis mensibus aut hæmor-
 rhoidibus factas. Notatu digna sunt verba Actuarii de Meth. med.
 Lib.3.cap.I.huc facientia. In pedibus sanguinem mittimus, comuni
 quidem ratione, ut humores, qui sursum ad partes præcipuas ver-
 gunt, retraham⁹ revellamusque; verum privatim in fœminis, qui-
 bus menses suppressimuntur, aut min⁹ quam necesse est purgantur,
 aut consimilis aliquis affectus sanguinis vacuationem urget. Qua-
 re hic internas magis secare convenit, sed in Coxendicis renun-
 que dolore, quem sanguinis proligat copia, externas secuile
 præstat. Legatur pluribus Differt. D. D. Stahlii de Venæ Sect. in
 pede. Eadem in brachio præstata, revellit nimium hæmorrhoi-
 dum & mensium fluxum. Quando vero menses aut hæmorrho-
 ides ad consueta excretoria loca derivare volumus, præferen-
 da iterum est Venæ Sectio in pede. Quid derivationia ranina-
 rum sectio in anginosis post præmissam universalem præstet, nec
 vulgus ignorat. An reliquus operosus veterum in secundis par-
 ticularibus venis selectus, eundem in certis morbis, præmissa u-
 niversaliore Sanguinis evacuatione, obtinere possit usum, non-
 dum decido, tempus enim omnia docebit, præsertim quando
tonicus motus consistentiorem in Medicina nactus fuerit ætatem.
 Quæri meretur an in Paralyſi *revulsoria* Venæ Sectio præferen-
 da sit *Derivatoria*? Discordes autem sunt in decidendo Aucto-
 res: Plures veterum unanihi sententia sanguinem hauriunt ex
 parte salubri ex opinione revellendi. Ast cum sensus & motus
 in parte deficiens potius eo versus derivandus sit, præferenda est
 Venæ Sectio in parte læsa. In febribus inflammatoriis plethorica
 aut orgastica corpora occupantibus sola revulsoria Venæ Sectio
 vix sufficit ad felicem morbi solutionem, quin derivatoria quo-
 que necessaria sit, Testante Sydenhamio. Ita ante triennium
 quinquagenarius peripneumonicus prima Venæ Sectione male
 à Chirurgo derivatoriè instituta, gravius affligeretur, compul-
 so sanguine copiosius, quam è re esse posset, ad partem dolen-
 tem; instituta autem statim post revulsoria nova Venæ Sectio-
 ne,

ne, præsenter solabatur, nam sputum, ultra quartum diem detentum, demum sequebatur cum septimo tetterimum & graveolens. Ægro adhuc superstite & plenius percurato. Venarum Sectio in infantibus cum exemplo Ægyptiorum, testante Alpino Lib. 2. Cap. 45. & Sydenhamii de Morbill. p. 248. derivatoriè magis usurpetur, videtur periculum creare gravioris afflussus, sed cum experimenta feliciter instituta contrarium monstrant, à priori suppono: Infantum naturam circa vitalia unice magis intentam, præsentius alterari & ab instituto deterri, memoriam autem facti, per sequentes ætatum periodos, durante adhuc nutritoria corporis extensione, obliterari. Hinc certè Venæ Sectio plures catarrhō suffocativō oppressos infantes è faucibus lethi eripere posset, nisi experimentum hic locorum nondum introductum, effet odiosum. Pessimum est revulsionis genus quando Medici sine discretione subjectorum in acutis promiscue ad Venæ Sectiones ruunt, & sic determinatam Naturæ intentionem ad excretiones colatorias avocant ad sinceram evacuationem, ut hinc malè raptus humorum ad caput in deliriis cum aphthis & Angina sequatur. Quid Arteriotomia revellendo maximè præstet, Severinus in Angiologia & aliorum & suis comprobat experimentis, maxime tamen efficacem illam observavit esse in Insania & Epilepsia institutam in Temporalibus. Efficacem quoque plures observarunt esse Arteriotomiam pone aures in Odontalgia. Scarificatio apud vulgum enormem adhuc usque obtinuit abusum sine discretione Temperamentorum corporis: Usus tamen revulsorius in evulsis esse potest inter scapulas in varis faciei. In Apoplexia ad sinciput commendatur à Veteribus. Quod autem ad partes inflammatas tam externas quam internas post septenarium diem maxime ab iisdem scarificationes commendentur, certe non penitus improbandum est, quod & Ægyptii faciunt Lib. 3. cap. II. Alpin. Generalem circa hanc operationem Aretæus Lib. I. Curat acut. cap. X. habet Observationem, non placidi sunt morbi, quicunque ante septimum cucurbitam requirunt. Ad derivandas autem consuetas sanguinis evacuationes ad solita sua loca æque suum conferre possunt momentum, & melius, quam cucurbitulæ siccæ.

Et

Et ut tanto efficacior sit sive Revulsio sive Derivatio, veteres partes scarificatas salibus linteolo oleo madido inspersis imbuerunt: inquietes. Salia quidem sunt in scarificationibus mordacia ac dolorifica sed salutaria. *Scarificatio narium ægyptiaca* in febribus acutis, quibus deliria ex præpostera Venæ Sectione superveniunt, Revolutionis scopo non levem obtinere posset usum, nisi via nondum trita & Medicorum torvum videre, plures terreret. Conf. Propemt. D. Stahlii de Scarificatione narium ægyptiaca. *Hirudines* ad revellendum pariter & derivandum hodienum, si non nostris, tamen aliis locis communissime usurpari solent. Ad orificium ani applicitæ, tam internas quam externas Hæmorrhoides translatas revocant; ad vaginalm uteri, menses aut simpliciter suppressas aut translatas. Extendit sese revulsoř & derivatorius usus etiam ad alias corporis partes, quod Mischl. Nat. Curios. variis experimentis comprobant. Septalius Venæ sectionis loco illas usurpare commendat in infantibus. Novi Virum quadragenarium, alias arthriticum, qui ubi saepius in lacus descenderat, ut ab hirudinibus in pedibus evacuaretur, liberabatur tandem ab hoc affectu, negligens autem hoc evacuationis revulsoř genus, brevi post spontanea dextri femoris exsolutione paralytica tactus talis adhuc dum permanxit. *Vesicatoria*, cum serofos evacuent humores in nucha applicata, revellunt Lethargi, Apoplexiæ & Lippitudinis causam serofam. Eadem Baglivus ad Carpos manuum commendat in symptomatibus soporosis febrium in Dissert. de Vesicatoriis. In Pleurite autem, satius Peripnevmonia, ubi sputum cruentum suppressum ultra tempus spasmodicè detinetur, ad crura, ibidem. Quod eadem in Arthrite motum humorum ad excretionem destinandorum ab intra foras eliciant & sic morbi solutionem præstent, plures arthritici, qui experimentum in proprio corpore cum successu fecerunt, mihi fassi sunt. Dudum Hippolitus Obicius in Tract. de multiplici in Medicina abusu. & Riverius, materiam malignarum, petechias & exanthemata retrocedentia, revocare suadent per Vesicatoria ad artus posita. Ita etiam Flor. Ranunculi recentes ad tempora & carpos posita vesicantes Odontalgiam sustulerunt. *Setacea* gravius affligunt vesicatoriis, hinc etiā ad pertinaciora mala destinantur. Scultetus

b

Ama-

A mavrofin hinc jactat penitus curatam, quod, an credibile sit, aliis
ju licandum relinquo. Quod autem in Apoplexia ferosa, Epile-
psia, Hydrocephalo & Ophthalmia à suppressis evacuationibus
ferosis ortis, præsentem tulerint Revulsionem plurimis veteris
veritatis æstimator Wedelius in Diff. pro loco, de fetaceis, corro-
borat exemplis. *Cauteria potentialia* solenne Veteribus fuerunt
Derivatorium in externis pariter & internis puris collectioni-
bus: quibus videlicet Empyicos evacuarunt, aut Indorum mo-
re apostemata in parte hepatis gibba intra membranam & paren-
chyma ejus collecta ventilarunt. Methodum vide in Bontii Med.
Ind. de Morb. Cap. 8. *Fonticuli* tanquam species cauteriorum
potentialium, ad revulsionem à Veteribus ordinantur in Apo-
plexia ferosa, in decubitibus catarrhalibus habitualibus & perio-
dicis ad aures, oculos & fauces excitati in Nucha: in Sutura co-
ronali autem ad suspendendum Catarrhum. Idem derivandi
scopo maximum ferunt momentum excitati in ipsis partibus ha-
ctenus antiquis ulceribus obfessis, quod per quam egregiè ex ex-
perientia notat Hippolitus Obicius in Tract. de multiplici in Me-
dicina abusu Cap. XXIV. Nam certe quorsum Natura per habi-
tum materiam consertim egerere diuturnitate temporis confue-
vit, abhinc per quam difficulter se avocare patitur. *Cauterium*
actuale pro crudeli præ reliquis nostris habetur Revulsorio, quod
delicata nostra ætas ad vulcania plane relegavit regna. Ast gene-
rosum revera remedium, quod præsentem Operatoris & imper-
territum subjecti exposcit animum: Nullum enim est dubium
quin hujus medio potentissimæ humorum obtineri possint & re-
vulsiones & derivationes evanescoriæ, Arabibus & Ægyptiis fre-
quentissimis testibus. Ita tempore pestilentiae grassantis nihil
præsentius carbunculos & bubones retrocessioni proximos re-
vocat quam cauterium actuale eminus admotum. Nec minora
nobis documenta exhibit Severinus in medicinæ efficacis Pyro-
technia Lib. 2. Ægyptiorum pyramidalibus petiis, apud Alp. Lib.
3. cap. 12. descriptis, quos in doloribus articulorum contumaci-
bus succensos usurpant, intima affinitate juncta est Moxa Sinensis,
dolorofum quidem sed potens, & ignito metallico cauterio longe
mitius podagrī malī Revulsorium: quod quō fato Gehema Eu-
ro-

ropæis commendet, non combino cum reliqua hujus Viri Theoria. Huc etiam referenda sunt remedia intro data, præsentem sensum & motum revulsorum in partibus vitalibus motibus subjectis excitantia, *Clysteres* nimirum & *suppositoria acria* dicta & *stimulantia*, quæ, quod in affectibus capitis, soporosis, apoplecticis, deliriis, in congestionibus item ad fauces & pectus, Angina, Catarrho suffocativo præsentem ferant opem, quotidiana loquitur Experientia. Quid *suppositoria acria* particulariter ad derivandas hæmorrhoides aut menses intestino recto inserta præstent, palam est. Tanto magis si in sequiore sexu pessaria uterina partes transmittentes ipsas proxime exstimulent, quod & facit Sal volatile urinosum instrumento Glauberiano introductum. *Purgantia per os* data solennes præstant Revulsiones & Derivationes in congestionibus humorum ad superiora factis tam sanguineis quam serosis, monstrante hanc viam in posterioribus ipsa natura, quando Lippientibus Diarrhœa superveniens salubris est: Hipp. in Coac. Præ reliquis tamen ex purgantibus illa notari merentur, queis certum quoddam intestinum præ reliquis afficitur. Hinc ipse Ludovicus, specificorum hostis, sine conscientia fatetur, partem aloes resinosa autorem esse Tenesmi hæmorrhoidalis, cui merito adjungenda est Rad. Helleb. nigri aut in substantia aut in Extract. resinoso, tanquam idem præstans. Colocynthis & Agaricus exercent terminibus intestinum Colon. Et quod veteres tot draSTicas nostris Dispensatoriis inferuerint pilularū compositiones de Mezereo, Euphorbio &c. ex nulla alia contigit causa, quam ut prostent potentia remedia revulsoria, quibus sensus in Intestinis auctior & hinc affluxus procuretur, ac in tantum alibi congestorius aut translatorius motus statarius avocetur. Maniacis ex furore, circa reliqua insensiliORIBUS, vitales partes potentius volunt affici, si spes restat resipiscentiæ. Hinc Veteres Hippocrates & Aretæus, nuper autem Lipsiensium non incelebris Practicus Petermannus usurpare soluerunt Helleb. album. Quod Hippocr. & Aretæus in anginosis Elaterium aliis purgantibus longe anteferant non est quod improbem. *Vomitoria*, remedia esse revulsoria pridem constituit, certè quicquid præstant in Apoplexia serosa, Vertigine consensuali, catarrho suffocati-

vo, Hemicrania, certe præstant, revellendo. Odiosa hactenus existente Venæ Sectione in infantibus, catarrhō suffocativō oppressis aut graviore tussi, quasi convulsiva afflictis, nihil præstantius & efficacius observavi, quam lene emeticum. Hactenus quidem hoc ipso scopo commendatur Mercurius dulcis, & quandoque quid præstat, sed hanc longis parasangis post se relinquit Sulphur Antimonii tenerimum ultimæ præcipitationis per Sal volatile urinofum institutæ, de quo innumeris vicibus observavi, quod præter revulsorium effectum verè anodynæ catarrhi præstiterit inspensionem. Curiosa circa hanc rem est observatio, quæ mihi aliquando contigit in Viro sene Asthmate humido cum orthopnœa & febrilibus exacerbationibus afflito. Hic alias hæmorrhoidarius tantam nunc patiebatur materiæ ad pectus congestionem, ut quantitas sive copia materiæ quotidie expectorata ad mensuram ascenderet. Lenia abstergentia, laxantia, saepius repetita, cum resolventibus & discutientibus generalibus & pectoralibus nihil ferebant levaminis. Ipse patiens vix animam agebat, rebus itaque per se conclamatis apparentibus, exhibeo iv. gr. Sulph. Antimonii, quæ unicum alvi præstabant excretionem cum manifesta Euphoria, quantitas enim materiæ excretæ parumper imminuebatur & patiens poterat residere magis reclinis, interposito uno die, altero denuo dabam iv. gr. ejusdem Sulphuris & cum binis alvi excretionibus eruperant in ano hæmorrhoides cæcæ dolentes cum solutione plenaria affectus hactenus pectoralis. Perverso autem consilio menstruantibus dantur vomitoria, queis pertinaciter ad superiora revelluntur menses cum consequentiis colicæ anotericæ, communissimo abusus vomitorio rum satellite. *Diuretica* Oribasius etiam non immerito ponit inter revulsoria Lib. 8. cap. 19. quæ certe congestiones ad superiora factas, modestius revellunt, Menses autem supressas derivant. Quod autem Empyicorum pus revellant, nullus non ex Veteribus cum Experientia sua contendit; cum autem res facti omnem transcendat conceptum, oculatores quoque nostrorum temporum anatomici nullas investigaverint vias peculiares, per quas ad renes feratur, vix meretur fidem. Quod autem eadem Lienis infarctus solvant & revellant omnino consentio. Quod Abu-

sus

sus Veneris revellendo disponat ad Hæmorrhoides, aut ubi non succedunt, ad Nephritidem, Podagram & reliquos inferiorum artuum spasmos, ex unanimi Veterum confessione & quotidiana Observatione perquam clare constat. Hinc est quod Hippocrates Sect. VI. Aph. 28, dicit. Evnuchi Podagra non laborant, nec calvi fiunt & ibid. Aph. 30. Puer Podagra non laborat ante Veneris usum. Errbino-ptarmica & Masticatoria acriora ex Synapi. Pyrethr. nonnunquam non contemnendum exerunt effectum revulsorium: Illa in Gravedine, Ophthalmia serosa & auditus gravitate, hæc in Odontalgia & Apoplexia serosa, sed paciente resuscitato. Ambo ab Oribasio in catarrhalibus oculorum & aurium affectibus commendantur Med. Collect. L. 8. C.XVIII. VII.) Peculiarem sensus alterationem inducendo, motusque humorum per certa momenta intercipiendo agunt Ligatura latissimæ fasciæ, quas non male Aretæus in Congestionibus & Translationibus humorum ad evacuationem destinandorum injici jubet supra talos & genua supra cubitos & sub humeros. Hinc ipsas in Angina, suffocationibus hystericis, Epilepsia &c. commendat. Proficuas ipsas comperui esse in quadam epileptica puella hujus loci, quam Paroxysmus ex sinistro pede dolorosis incursat spasmis quoties autem tempestive ligaturas sibi injecit supra genua, toties non cecidit. VIII.) Sensum horridulum & hinc revocationem motus crispatorii in fibroso nerveis inducunt partibus Veterum stillicidia; - ab ipsis quidem frigida magis ad discutiendum in affectibus capitis usurpata: majore tamen fundamento usum, sane magni faciendum, obtinuere in Thermis naturalibus, quæ in stillicidia conformata & paralyticorum membris tono resolutis & humoribus cum metuenda necrosi infarctis applicata, sensum & motum & per ista stagnantium humorum blandam efficiunt discussionem. Id quod Thermæ naturales peregre suis locis præstant, præstare quoque possunt domi decocta nervina ex Salibus, Sulphure & Calce viva temperata. Frigida tanquam noxia in Affectibus ventriculi quoque olim usurpata jam tum Hippolitus Obicius expunxit.

Ex his itaque dispalefecit quam ingens fuerit Revulsionis & Derivationis usus apud Veteres magis quam Recentiores; & qui

vulgum penitus examinaret, plura ibi inveniet Revulsionum & Divercionum experimenta, quam quæ medici nequem omnes norunt. Colligo itaque ex prædictis. Per *Revulsionem* tale *Remedii* genus intelligi debere; quo vel *Motus per se*, vel *Motus cum humoribus* à certis partibus incompetentibus avocatur, per provocationem ejusdem in oppositis aut dissitis partibus. Per *Derivationem* autem intelligo *remedium*, quo in certis partibus competentibus & appropriatis motus motum provocat & invitatum vel sine materiæ alicujus excretione. Circa *Revulsionem* sequens ex iisdem fluit differentia, qua alia est *generalis*, alia *particularis* sive *Specialis*. *Generalis* fit duplicitatione quatenus primo, *totum corpus* universaliter afficit foras intro, aut intro foras. secundo, quatenus à Superioribus supra diaphragma sitis cavitatibus ad inferiorem, aut vice versa abhinc ad superiores ducit. *Specialis* concernit *partialia loca corporis* & fit in illis. 1) ab intra foras aut foras ad intra 2) à parte antica ad posticam aut vice versa 3) à sinistris ad dextram aut à dextris ad sinistram.

Cum autem unus aut alter me succensere posset quod promiscue imitabilia pariter ac periculosa Veterum revulsionum experimenta allegaverim. Hos velim ut sciant me saitem historice hanc rem delibasse, ut clarius constare posset, quisnam causalis nexus inde sive in bonam sive etiam in malam partem capessendus fit. Antequam autem ad causalem Deductionem descendam sequentes circa per tractatam materiam velim notari Cautelas 1) Nullam neque generalem neq; specialem tentandam esse Revulsionem, nisi generaliores præmissæ fuerint Evacuationes vel Plethora vel Cacochymia. 2) Derivatio nunquam fiat in initiis morborum. Humoribus enim in Motu versus partem affectam existentibus, Congestio fit longe major vehementior & rebellior. 3) suppeditat. Hippolitus Obic. & Actuar. Meth. med. L. 3. c. 1. Dum adhuc humores oberrant & incertâ sede vagantur, revellere melius est: at ubi jam sedem fixerunt & loco cuidam infixi hærent, ex propinquiore parte evacuare est utilius. De Abusu fateor pauca dixi, ne nimis prolixus fiam. Cujus tamen cum & in contrarium præsens sit efficacia, non minus corroborat sententiam nostram, quam verus & genuinus usus. Nonne Purgantium per

os

os sumtorum , Clysterum & glandium acrum usus funeste revellit exanthemata
 æque ac teror ? Nonne Venæ Sect. in brachio instituta pessime revellit menses &
 hæmorrhoides aetu fluentes , teste Foresto L. 18. Obs. 3 ? Et quæ mille talia plura
 apud observatores prostant perversa experimenta non tam imitanda quam pen-
 tius penitanda , qui tam prompte & præsenter agant . Sed audio alios regerere ,
 remedia quæ causam morbi non attingunt merito rejicienda & magis abolenda esse ,
 quam denuo ex quisquiliis recapsenda . Ast bona ipsorum pace respondeo , sit
 licet causas tot recensitorum morborum materiales non attingant , alterant ta-
 men & afficiunt causam instrumentalem , sine qua neque materia neque effectus in
 affecto loco unquam contigisset : Ut taceam plura Revulsionm & Diversiōnum
 genera una cum instrumentalis etiam afficere causas materiales , quod ex antecedē-
 tibus patere potest . Nervus itaque nostræ decisionis situs est in Demonstratione
 causæ instrumentalis omnium recensitarum Hæmorrhagiārum , Congestionum
 simplicium pariter & inflammatoriarum , Translationum , aut aliorum humo-
 rum ad excretionem destinatorum & hinc inde compulsorum motuum , quam di-
 co esse Motum tonicum . Cujus existentiam , Primus , Fridericianæ nostræ orna-
 mentum D. Georgius Ernestus Stahlius , Orbi medico-philosophico dilucide &
 clare demonstravit , cujus memoria cessante invidia sempiternum florebit , au-
 guror . Qui resciscunt qualis sit hic Motus ? adeant quæso Dissertationes ejus
 prolixe satis ubivis de eo differentes . Cum autem causa instrumentalis præsup-
 ponat principalem , hanc esse dico Animam . Et ut brevis sim , rem ita connesto .
 Anima binos in promptu habet Motus Vitales , quibus tanquam instrumen-
 tis Autocrator utitur ad sibi met ipsi opes ferendas , & tales sunt Pulsus & Tonus ,
 neuter sine altero . Pulsus indifferenter sanguinem locali motu per partes di-
 spensat . Tonus autem indifferenter sanguinis Motum determinat ad cer-
 tas partes & loca . Quatenus naturali gradu gaudet , Autor est Hæmorrhagia-
 rum , Congestionum vel simplicium vel inflammatoriarum & Translationum :
 Nec febres sine directorio Toni existentiam suam habere possunt . Ubi pau-
 lo magis exacerbatur , Autor est morborum spasmodicorum tam fixorum quam
 ambulatoriorum . Ubi denique extremos molitur insultus Convulsiones parit ,
 Epilepsiam & Tetanum . Et contra ubi ex parte deficit particulares sequuntur
 Paralyses : Ex toto , Apoplexia Lethargus &c. Si queratur quibus hamis &
 uncis , tonus tanquam motus trahat nervos & fibras partium ? quæso ante
 mihi aperiatur quibus hamis & uncis spiritus animales , tanquam elateres ma-
 teriales trahant fibras tanquam tot vectes & trochleas corporis animalis auto-
 matici , ast non trahiunt , sed infarciunt . Si non concipitur quomodo Animæ
 immaterialis agat in materiale , ego nec minus concipio , quomodo spiritus a-
 nimals per cerebri glandulas secretæ & æque materiales mentis immortalis
 nutui pareant ita ut in specie fibras digiti majoris pedis trahant aut infarcent in
 podagricis & non per universum corpus uti in Arthriticis . Omnem transcendit
 conceptum : Quomodo in Autome irritatio extrinsecus illata contrarios in
 dissitis locis introducere poscit motus . Certe wo ich eine Ihr einmahl
 unrecht aufziehe / ist sie verdorben . Hinc miror quod eò audaciæ progressus sit

Bagli-

Baglius, citra Theoriam alijs incomparabilis, & voluerit hanc de revulsionibus & diversionibus Veterum materiam purè Mechanicè in suo Tractatu de Fibra Motrice pertractare. Proh! sic confundunt Artem & Naturam, imo arti cum Scaligero plus tribuunt quam Naturæ, quod non capio. Ars certe stupendas produxit Machinas, Muscam ferream, columbam ligneam & Aquilam per determinata loca volantem: Caput nonnulla articulata verba affabre pronuncians. Statuam ligneam Parisiensem beneficio organi pneumatici integras sed certo numero definitas enunciationes loquentem. Nunquam tamen per concentratissimam licet industriam compegit Machinam sentientem. Tubi Stentorii sonos quidem reverberando multiplicant & concentrant, ipsi nihil audiunt. Cameræ obscuræ oculum imitantur naturalem, nulla tamen ipfis competit visio. Fingant Machinam tensilibus chordis instructissimam, ut imitentur nerveam corporis animalis texturam, & videant, an si tangant, sentiet. Et tandem absolute in nulla artis potestate est, Machinam depere ex materia molli, muco, terra & pinguedine, illamque instruere organis pneumaticis & hydraulicis, quæ suam propriam compagem & mixtionem, per fluidorum motum à corruptione præservet, quæ instinctu gaudeat detritarum aut excretarum partium defectum resarcire per nova assumta, & quæ plura requiruntur. Quid multis omnem sanum transcendit conceptum Machinas esse suæ speciei multiplicativas. Natura quidem Naturam generat, sed Machina machinam nunquam; Nec Machina producit semet ipsam, sed producitur à Natura. Quos itaque Idolum Mechanismi in sui rapit admiratiorem & formosæ speciei tot ingeniosorum partuum, queis prægnantia fuere postremum & nostrum seculum, cepit amor, illis omnia illa absurdissima & peregrina videntur, quæ Naturam sapiunt. Quid mirum si & præsens materia ex eodem fonte sed non pro meritis deducta, eodem fato gaudeat. Sed QVORSUM! Tua nunc res agitur, Experientissime DN. CANDIDATE, merito post sudores fervidos respicis honores, qui tibi ex merito condigne conferuntur. Novit Patria industriam tuam à teneris annis indefessam, quam & Lipsia & Hala continente fervore conspicuam deprædicat. Hygæa te filium genuit, & Celebrium Apolineæ artis Professorum doctrinis innutritum voluit. Satur bonis & solidis artis nostræ principiis jure Cathedram concendis & quæ didicisti ipse doces. Jam patet aditus ad amplam Praxin. Jam experiere Doctrinorum pondera quam æquō cum experientia lance constent. Et certè jam tum expertus es per annum & ultra, quam magnum noviter medentis fit solatium rebus farta concepisse Theorias, quæ & in intricatis ac complicatis morborum apparitionibus neminem destituunt. Gratulor de concesis honoribus, de impetrata Licensia circumspectam Præxin animosè exereendi & de surgente sidere, nuncio majorum felicitatum impendentium. Redi bonis avibus ad patrios lares & quo trahit sidus sequere. Benedictionem Divinam in omnibus Tibi spondeo. Me autem tibi habeas commendatissimum rogo.

Vale.

HALÆ MAGDEB.
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.